



CAIPHAS, Iudæorum Pontifex fuit anno mundi 3983. post Christū natū 21. Aiunt hunc cū Anna socero Pontificatum emisse, atq; eodem anno ambos rexisse: nam Cæsarum procuratores pro auaricia & libidine sacerdotium tunc conferebant. hūc Vitellius Syriæ præfectus post 17. annos sacerdotio priuauit. Hic est ille Caiphas qui scidit vestimenta sua ad responsionem Christi: in cuius etiam domo illusus, consputus & colaphis cæsus est D. noster: vbi etiam Petrus Dominum negauit, ab vna atque altera ancilla conterritus. Mat. 26. ca. Iose. lib. Antiq. 18. cap. 8. hic cū esset Pontifex, prophetauit, *expedire vt vnus homo moriatur pro populo, quàm si tota gens pereat.* Ioan. 21.

PILATVS Iudææ præfuit an. 9. incipientes anno mundi 3988. post Christum natum 26. Hic statuas Cæsaris Ierosolymis collocauit, mortem etiam cōminatus Iudæis nisi quieuisent: at illi mortem se potius subituros quàm legis suæ constitutiones transgressum iri, profitebātur. Tū Pilatus demiratus Iudæorum in sua lege obfirmationē, imagines auferri præcipit. de Christiano dogmate ad Tiberiū retulit: & Tiberius ad Senatū: sed Christianos vrbe eliminādos Senatus statuit: & Tiberius edicto, mortem accusatoribus Christianorū interminatus est. Tert. in Apolog. cap. 5. Oro. li. 7. ca. 4. Coràm Pilato Christus criminatus est à Iudæis quòd populū auerteret, quòd tributū Cæsaris prohiberet, quòdque se regem faceret: quem cū aliquoties interrogasset, cupit: hoc se iudicio eximere, & absolutum dimittere: verū vbi Iudaica rabies inualuit, importunitate ac minis fractus Pilatus, Christū illis ad arbitriū vt crucifigerēt tradidit: præfatus tamē lotis quoque manibus, se innocētē esse à sanguine eius. Ios. li. ant. 18. c. 5. 6. 7. Vide etiā Euā. Hic tandē tēporibus Caligulæ sibi propria manu mortem consciuit. Euse. li. 2. cap. 7. Pilatū scribit Phi. Berg. li. 7. è Lugduno ortū, vbi etiā exul seipsum interfecerit. aa 4